

29.

DISSERTATIO IN AVGVRALIS MEDICO-
CHYMICA,

DE

VITRIOLO

ET

QVIBVS DAM MEDICAMENTIS
EXINDE PARANDIS,

QVAM
CONSENSV

GRATIOSI MEDICORVM ORDINIS
IN ALMA ET PERANTIQA HIERANA,

S V B P RÆS ID I O

DN. D. IVONIS JOANNIS
STAHLII,

EMINENTISS. ELECT. MOGUNT. CONSIL. ET ARCHIAT. ANATOM. CHIRURG.
ET BOTAN. PROFESS. PUBL. FAC. MED. ASSESS. ORDIN. CIVIT. ERFORD.
CONSULIS ET PHISICI,

PATRONI AC PROMOTORIS SVI COLENDISSIONI,

PRO LICENTIA

S V M M I S Q V E IN ARTE SALVTARI PRIVILEGIIS
AT Q V E IMMVNITATIBVS

RITE ET SOLEMNITER ADIPISCENDIS,
P V B L I G O E R F D I T O R V M E X A M I N I S V B M I T T I T

A V C T O R E T R E S P O N D E N S

JOHANNES HENRICVS GRÆFFE,

Sondersbusano-Schwarzburgicus.

IN AUDITORIO MAIORI COLLEGII MAJORIS, HORIS CONVENTIS,
DIE XXIII. OCTOBRI, M DCC XL,

ERFORDIAE, Typis HERINGII, Acad. Typogr.



VATI

CUM MEDIIC VITRIS

ORDINES

DIVINIS

ENATI

PRO FUGA

PRO FUGA

PRO FUGA

PRO FUGA

PRO FUGA

PRO FUGA



DISSERTATIONIS IN AVGVRALIS MEDICO-
CHYMICÆ
DE
VITRIOLO
ET QVIBVS DAM MEDICAMENTIS EXINDE
PARANDIS
PRO O E M I V M.



D nervum rerum gerendarum acquirendum omnes omnino homines hodie intenti sunt. Hic pecuniam astu, ille labore colligit. Unus agrum colendo fructus uberiiores ex peculiari fœcundatione aliisque ceconomicis arcanis expectat; Alter castra secuturus prædam hostium in proprium convertendi commodum maximam alit spem; Tertius totum se literis dicat, & non raro arguento avaritiæ fundato persuasus Medicinam tractandam sibi eligit, quia forsitan audivit proverbium: *Dat Galenus opes*; Quartus falsum nostris temporibus hocce proverbium inveniens, Galeno faveolentes relinquit planitas, loco harum potius eligit carbones foetentes omnes-

A 2

que

que nervos eo intendit, ut arte spagyrica atque brevissima via viliora metalla in nobiliora transmutare dicat. Quia autem ex Chymicorum mente id fieri non potest, nisi metalla ad principia prima reducantur, & haec reductio labor superfluis esset; hinc, cum mineralia imperfecta sint metalla, & in illis eo facilius obtineri possit separatio atque combinatio, jamdiu unusquisque materiam pro sua intentione sibi elegit elaborandam, multi vero *Vitriolum* ad tinteturam universalem aptissimum judicarunt, quoniam *acidum Vitriolum* *primordium* constitueret commune, omnibus metallis gignendis aptissimum. Hoc videre est ex antiquo illo dictorio mystico, cuius unaquaque litera vim vocabuli speciale designat: *Visitabis Interiora Terræ Rectificando Invenies Optimum Lapidem Veram Medicinam*; ut & ex famigeratissimi Erfurtensis Chymici BASILLII nempe VALENTINI, ænigmate, quod p. m. 145. ita sonat:

- V Künff Bücher hat uns zugericht
Moses allein durch Gottes Gedicht,
- I Die weniger Zahl sein'n Büchern folgt,
- T Was da geboten ist seinem Volk.
- T Drey Patriarchen stumm
- R Erklärens mit in einer Summ.
- I Ein Zeuge redt mit höchster Stimm,
- O Wer gar nichts gilt, ist leer im Sinn.
- L Fünfzig ist mehr denn fünf die Zahl,
- V Und sind doch nur zween überall:
- M Tausend beschliessens End zugleich,
Wer diß versteht, der ist ganz reich.

In-

Interim: dum *Vitriolum* speciminis inauguralis loco consideratum fisto, non indagaturus sum, quo modo mediante illo Tinctura universalis parari possit, alias ostenderem quod modo nominatus **BASILIVS VALENTINVS** facilius intelligi queat per collationem diversorum locorum, dum e. g. quæ pag. 146. dicit, explicat pag. 264. item lineas ultimas pag. 145. exponit pag. 68. sed potius *Vitriolum* laudo tanquam optimum medicamentum; Quot enim in partes *vitriolum* separatur, tot distincta opera exercet, adeoque in eo quæro nervum rerum gerendarum, felicem puto praxin medicam, quam Deus unacum omnibus suscipiens laboribus, in specie hoc præsente, secundare velit.

§. I.

Vitriolum est concretum minerale, de Cupri aut Martis natura potissimum participans, ex salium genere, diversis substantiis, qualitatibus ac viribus præditum, coloris distincti, saporis acris, quod tam nativum effuditur, quam per chymicos labores producitur.

§. II.

Album vitriolum est substantia alba salina mineralis, saporis acris, & cum nausea quodammodo adstringentis; *Commune vitriolum*, quod à loco nativo *Goslariente*, *Brunswicense* aut *Geirense* vocatur, est minerale sal, venerea & martialis naturæ, saporis summe nauseosi, austeri & pontici, ex luteo viride-scens, granulatum grumosumque, paulum unctuosum, manuique tangentis adhærens. *Cyprinum*, quod & *Romanum* *Vitriolum* nominatur, est sal minerale pellucidum, crystallinum, sapphirini, seu coerulei coloris, quod acredine excellenter gaudet, quam quæ in prædictis speciebus reperitur. *Hungaricum* est substantia crystallinæ, compactum frustulatumque splendidum, saporis paululum acrioris ac album, coloris ex obscure coeruleo viridescentis, tangenti, siccum apparet,

ret, nalloque madore manus humectat. *Rubrum quoque Vitriolum* in Germania nostra reperitur, quod *Colcothar nativum* dicitur, habeturque *Vitriolum viride*, igne aliquo subterraneo calcinatum: Hanc LEMERY vitrioli speciem rarissimam esse asserit. In fodiis Neosoliensibus D. Praes reperit *Vitriolum crystallinum*, translucidum Persici coloris stiriarum more.

§. III.

Diversis vitriolum nuncapatur nominibus: *Atramentum sutorium* & *atramentum nigrum*, latinis vocatur, quia sutores ad nigrum colorem corii conciliandum eo utebantur olim, cui vero nostris temporibus alias ex ferro & queru desumus substituitur. *Atramentum* vocatur quod scriptorius liquor niger inde conficiatur; *Vitrioli* nomen a colore & splendore, quo *vitro* respondet, accepit. *Calcanthum*, *Calcanthon*, *Melanteria* Graci illud nominant, quasi dicherent *flos cupri vel æris* (minime vero confundi debet cum flore æris, substantia nempe milii grana & squamas referente, quæ ex ære candente obtinetur affusa aqua frigida.) Arabice *Calcand.* & *Alcaladis*: Gallis *Vitriol*, aut *Coupperose*; Italis *Vitriolo*; Hispanis, *Cuparosa*; Germanis *Kupferwasser*, *Vitriol*, *Schuster-Schwärze*, Belgis *Koperot* audit.

§. IV.

Ad salium familiam *Vitriolum* pertinere negant Job. ZWELFFER, Mantiss. Spagyr. P. II. c. 9. & Frid. HOFFMANNVS in Clave Pharmaceutic. Schrederiana. l. 3. c. 26. p. 353. & ANGELVS SALA sine errore gravi *Vitriolum* numero salium inferi neutquam posse statuit, eam ob rationem, quod omnia corpora quæ salium nomine veniunt, non solum differant odore, colore gustu & aliis proprietatibus a Vitriolo, sed & pro corporibus simplicibus ac incompositis habenda sint, si cum Vitriolo comparentur. In hoc autem, laboriosissimo alias huic Chymico, subscriptere non possumus: 1) enim sal est primum sapidum, salsum, acidum, acerbum, austерum, &c. uti WEDELIVS in Chymia de fundamentis salis scribit, atque in Vitriolo talis quoque sapor deprehenditur. 2) Sal solvitur in

in aqua, & est fundamentum solutionis & compactionis; quod in ejusdem autoris libro l. c. legimus; *Vitriolum autem quoque solvitur in aqua, quod experimentum s̄epissime instruunt illi, qui hoc minerale a terrestrebatibus metallicis liberare contendunt, tunc secundum BASILIVM frequente solutione & crystallisatione, solvendo scilicet Vitriolum in aqua pluvia destillata, aut phlegmate spiritus vini, hinc digestione viginti quatuor horarum adhibita, subsidentem terram flavescentem per filtrationem separant, evaporatum denique li- quorem crystallisationi exponunt.* Idem statuit BOHNIVS *Dissert. Chymico-Phys. I. §. 22.* Nulla nec vitrioli, nec aliorum salium crystallatio fieri potest, nisi salina, seu vitriolica illa substantia ab aqua proportionate satis diluatur. 3) Sal resolvi potest in terram; cum vitriolo vero id quoque fieri, docet subsidentia terra flavescentis jam memoratae, & phlegmatis abactio per calcinationem, calcinatum enim Vitriolum (uti alia terra) non amplius deliquescit, consentiente BOHNIO l. c. 4) Sal magnes est humidi ærei seu aëris & aquæ ob porositatem summam; sic quoque experientia quotidiana confirmat, Vi- triolum aëri liberiori & humidiori expositum madeferi.

S. V.

Ad nostrum vero non pertinet scopum, ut multis am- bagibus omnes proprietates salium recensemus & ad *Vitrio- lum applicemus*, majorem enim capimus utilitatem ex inqui- sitione, partium constitutivarum *Vitrioli*, ubi mittimus illos, qui ex alumine & sulphure compositum esse afferunt, quos inter in primis LIBAVIVM nominare sufficiat, qui *Lib. II. Al- chemicæ Tract. II. Cap. 39. p. m. 178.* hoc statuit, quod tamen re- solutione ejusdem demonstrari non potest, dum corpora omnia, quibus sulphuris materialis portio aliqua inest, levissimo ignis gradu ædhibito flamمام concipiunt, ac dictam substantiam sulphuream dimittunt, sicuti in Antimonio, Au- ripigmento & Marcasitis experiri licet; *Vitriolum vero spa- gyrica arte examinatum ne ullum hujus indicium exhibet.* Deinde Alumen & sulphur partim ob aquositatem unius, partim ob unctuositatem alterius, usque adeo sibi contraria sunt

sunt corpora, ut non diutius permista ac juncta permanere queant, quam aqua & oleum simul unita subsistunt, quæ tanquam argumenta stringentia ANGELVS SALA profert. Interim ex eodem spiritu acri, ex quo sulphur & ex eadem aquo stante, ex qua alumena oritur, natales haberi Vitriolum, pertinacius negare non audeo. Proinde etiam Illustris STAHLIVS Diff. de Vitriolo §. 16. sribit: *Imo ne quidem terreo-limosâ substantia prorsus excludenda.* Quamvis enim talis non tam vitriolum, quam alumena prabeat, pendet tamen inde in primis major aut minor puritas Vitrioli, dum aliqua horum, & in primis Anglicum, Aluminosa miscela plus minus adulterata sentiuntur, a qua ut in solidum liberentur, certe non ita in prœclivi posita est dexteritas: Interim etiam ad usitatas e Vitriolo preparationes parum necessaria.

§. VI.

Superius dictum fuit, Vitriolum aliud dari nativum, aliud artificiale; utrumque exposcit tam materialm ex qua, martem nempe & venerem, quam menstruum acidum, praecipue jamdum vitriolicum, quod exactiori indagatione apprehenditur compositum esse ex spiritu Sulphuris mineralis & aqua communis.

§. VII.

Nativum generatur in subterraneo laboratorio, si sulphur in cryptis terræ accensum spiritum exhalat acidum, qui in terræ meandris attingens cuprum, aut ferrum, ea corrodit, quod intime sibi copulatum in salinum corpus commutat, solubile ab humore accidente aquoso, ita ut interdum aquæ forma ex scaturigine propullulet qualem torrentem in Hungaria prope Neo solium, ex caverna metallica promanantem, quodvis ferrum in eupream calcem atterentem, videre licet; interdum vero in terra iterum in elegantissimas concrescit crystallos, quod stricte Vitriolum fossile vocatur, spatiotissimi specus montis prope Goslariam sita inexhausta copia Cupri Mineram fundentis, exhibent, ubi tanta abundantia hujus Vitrioli sponte excrescentis conspicitur, ut stiræ, cubitum longitudine æquantes exiguo pretio vendantur.

§. VIII.

§. VIII.

Genesin hanc ratio docet, & artificialis Vitriolum conficiendi modus, demonstrat, quem OSWALDV S CROLLIVS in *Basilica Chymica p. m. 299.* ita instituere docet; Recipe ferrum, vel cupri laminati, quantum vis, scinde in frusta semithaleri, in tigillo lutato fac cum sulphure pulverisato stratum super stratum, igne rotæ successivo aucto, accenso sulphure calcinantur prædictæ laminæ, operatione post horam finita, frigefacta materia, trita atque cibrata in olla non vitreata exiguo ignis gradu calcinatur semperque cum instrumento fereo, aut cupreo, (prout vitriolum facere intendis) movetur, ubi adhærere vult, satis est. Ad hujus calcis libram recipe sulphuris unciam unam semis, in olla uti prius calcina, sèpius movendo, semper autem calcem bene sicca & hoc sex vel septem vicibus repetitis, minutissime tritæ calci in patina lignea affunde aquam calidissimam, solvetur Calx, & aqua è venere erit cœrulea, cola, evapora ad cutiulam, sic in frigido concrescit pulcherrimum e cupro cœruleum, e ferro viride Vitriolum. Pari ratione cum spiritu sulphuris æque ac cum spiritu vitrioli, Vitriola fiunt BARNERO docente *Tract. de sublimatis p. 448.* Denique etiam e Cupri Mineris ustis in magna quantitate arte producitur.

§. IX.

Clarum itaque est, vitriola non solum ex mineris, verum quoque ex metallis oriri. Unum quodque autem metallum propriam suam habet mineram, aut minerale sibi affine, quod MINDERERV lib. de Calcanto Cap. i. statuit. Auri nempe minera est Marcasita; Plumbi, Antimonium; Ferri Pyrites, Stanni Magnesia, & Cupri Vitriolum. Hinc quæstio moveri posset, an Vitriolum etiam ex reliquis metallis haberi possit; & an vitriolum reperiatur quod portionem auri atque argenti in se contineat? A negantium latere ANGE-LVS SALA dimicat argumentis, quod spiritus sulphuris non sit efficax ad dissolvendum argentum, sine interventu spiritus nitri, quæ aquam fortem constituant, qualis in fodinis nunquam reperitur, & si, daretur, argenti fodinas corrumperet.

B

Sic

Sic quoque Spiritus Sulphuris non dissolvit aurum, nisi intercedat Spiritus nitri & Sal ammoniacum, ex quibus *aqua regis* componitur. Affirmantium autem gravissimum argumentum est: Si vitriolum artificialiter præparari posset ex aliis metallis, nullam contradictionem involvere, quod idem in terræ gremio contingere possit. Communicat vero LIBAVIUS. l. c. processum, Auri vitriolum faciendi; WEDELIVS in Chym. p. 182. exemplum crystallorum lunæ allegat, ut vitriola e metallis minus tinctis etiam parari posse inde pateat, & LEMERY Cours de Chymie p. m. 142. Crystallos sub titulo *Vitriolum Luna* exhibet. Stanni atque plumbi vitriolum parare docet LIBAVIUS, & Sacharum Saturni nihil aliud esse quam Vitriolum, ejusdem laudato WEDELIO concedimus, siquidem eadem habet elementa, acidum & Sulphureo-terreum metallicum, quamvis sui generis; insuperque in sapore atque modo fiendi, solutione & crystallisatione aliisque cum Vitriolo habet aliquam convenientiam. ROTHIVS denique de Sulpure Vitrioli anodyno, corollario III. p. 95. statuit, quod ex omnibus metallis & concretis metallicis Vitriolum elaborari possit, difficilius tamen ex auro, & maximis difficultatibus ex Antimonio. Ad alteram quæstionem respondentès, Illustris STAHLII Diss. de Vitrioli Elogijs chymico-Medicis estimandis verbis merito utimur: Felicius autem certe solidius, spes hujusmodi refricuit, recentior ille, non contemnendi Schediasmatis de Amalgamatione Autor; dum satis simplici demonstratione experimentali, Vitriola quædam revera aliquid Auri præbere ostendit.

§. X.

Limites speciminis inauguralis prohibent prolixorem theoreticam, perscrutationem; unde potius ad medicum Vitrioli usum me ducunt, ubi considerandum venit *Plegma Vitrioli*, quod ita paratur: Vitriolo cucurbitæ dimidiâ partem reple, imposito alembico, & commissuris probe lutatis, ex cineribus gradu ignis successive aucto, propellitur aquæ humilitas, hæcque destillatio continuatur, donec tenues halitus ascendunt, tunc cessandum. Id, quod in recipiente continetur, plegmatis Vitrioli nomine commendatur, ad Lichenas,

chenas, Impetigines, Nomas & Erisypelata quædam tollenda, ulcera maligna & cacoëthica repurganda, putrida mudiificanda, cutem a scabie repurgandam aliquæ plura a laudato MINDERERO. PENICHER in *Collectaneis Pharmaceuticis p. m.* 192. hoc Ros Vitrioli Angeli Sale nominat, dicitque quod aduersus ardentes capitum dolores valeat, viscera roboret, cerebrum, superflua siccitate debilitatum firmet, humidumque radicale reparet, ad drachmas duas pro dosi exhibitum.

§. XI.

Spiritus Vitrioli roridus fere cum dicto coincidit, obtinetur vero si v. g. Vitrioli Romani libr. 5. ex phiala vitrea per alembicum destillantur, & liquor collectus super capitum mortui residui libr. 1. quater cohobatur. Hic sanguinem mudiificat, cerebrum roborat, & insigne est antiepilepticum, teste ROLFINCIO in *Chymia p. m.* 161.

§. XII.

Spiritus Vitrioli simplex. fit, si Vitriolum Romanum ad libras aliquot in vase terreo ad humiditatis absumptionem calcinatur. Vase refrigerato massa, vix dimidio pondere residua retortæ Waldenburgicæ concredita, adaptato recipiente, gradibus ignis successive applicatis, quadridui spatio spiritus urgetur ad olei usque proventum. Rectificatio fit ex cucurbita, Phlegma quod exstilat, seorsim servatur. In fundo Colcothar. Hæmoptoicis protest, teste MONAVIO Epist. Cratoni a Scholzio edita 219. ventriculo suppetias fert, & appetitum excitat, ROLFINCIUS experientia. Benignis & malignis febribus utile est medicamentum testimonio CASTELLI Epist. med. 7. item p. 68. seqq. In capitum affectibus cephalgia, vertigine, phrenitide, apoplexia, epilepsia & convulsione magni usus est, si cum aquis morbo appropriatis assumitur. In catarrho, rheumatismo, pectoris affectibus AGRICOLA Commentar. in *Poppium* utitur, qui & ad morsum canis rabidi illum valde prodesse dicit. In asthmate KORNTHAVERVS Commentar. in lib. Paracelsi de peste mira inde expectanda esse scribit. In cachexia Job. Ludov. à FRUNDEN Elix. arbor. vita p. m. 53. ramquam secretum eundem communicat. In calculorum laudant

laudant illum AGRICOLA tract. de Vitriolo p. m. 358. FREITA-
GIVS Auror. Med. p. m. 353. Casp. CALDERA DE HEREDIA in
promtuario facile parabil. p. m. 323. Et Dominus. PANAROLVS,
qui obs. 41. scribit: *Spiritus vitrioli renum & vesica arenulis &*
*calculis tuto exhibetur in principio absque ulla evacuatione prece-
dente.*

§. XIII.

*Spiritum Vitrioli Tarrarisatum parandi modum docet le
FEBURE in Chymischen Kleinod, Part. II. p. 812. eumque com-
mendat tanquam aperiticum universale, cuius vires ad sani-
tatem præsentem conservandam & amissam restituendam sa-
tis laudari non possint.*

*Spiritus Vitrioli Volatilis, vitra, quibus inclusus est, deau-
rans Tackit, describitur à JÜNGKENIO in Chymia experimenta-
li curiosa p. m. 237. huic adscribit insignem vim resolvendi &
penetrandi.*

§. XIV.

Inusitatum modum Spiritum Vitrioli destillandi docet
HELMONTIVS Tractatu de Lithiasi Cap. VIII. §. 19. de hoc pro-
mittit, quod caustam occasionalem plurium morborum chro-
nicorum tollat. Spiritus Sulphurei, qui ex retortæ, in vi-
trioli destillatione disruptæ, rima prorumpit, mentionem
quidem facit III. STAHLIVS Diss. de Vitrioli elogii. §. 36. & RO-
THIVS in Chymia, hic vero p. 112. pro immutato spiritu aci-
do eum accipit, & ille judicat omnibus, qui de volatili spiritu
mentionem fecerunt, similem retortæ fissuram accidisse, mi-
nimeque separatim eum obtineri posse. Interim primus spi-
ritus, qui phlegma subsequitur, a PARACELSO pro volatili
sulphureo, & summo antepileptico habetur, qui nihil aliud
est, quam pars phlegmatis, unita aliquot particulis terræ sub-
tilis mineralis, quod observatio LUDOVICI Pharmac. mod. See.
applic. p. 439. confirmat, ubi post spontaneam rubri pulveris
ad fundum præcipitationem, spiritus hic in phlegma insipi-
dum iterum fuit mutatus.

§. XV.

*Spiritus Vitrioli Dulcis, cum suo sale junctus, solvens Metal-
lorum*

lorum Nobilis de Mulinen, descriptus sittitur à JÜNGKENIO, c. l.
ubi insignium deprædicatur esse Virium in Melancholia hy-
pochondriaca, Palpitatione cordis, Febribus, Epilepsia, Pleu-
ritide, Hydrope, syncope à gtt. 6. adio, cum appropriatis.

Spiritum Vitrioli Antepilepticum Hartmanni destillare ex
ejusdem JÜNGKENII Chymia discimus simulque legimus, in-
terne eum mirabiles habere effectus in Caduci miasmate ex-
pugnando, nec non quod in aliis quoque Capitis affectibus,
ipsaque Mania non satis sit deprædicandus.

§. XVI.

Colcothar Vitrioli, uti superius dictum, post destillatio-
nenem phlegmatis & spiritus vitrioli in fundo cucurbitæ rema-
net rubicundum; aut vitriolum in vase terreo, prunis im-
posito, calcinatur ad plenariam omnis humiditatis absumtio-
nem & subsequentem vitrioli perfecte rubicundum colorem,
Hæc massa caustica ad externa tantum foeda cutis ulceræ re-
purganda, unguentis atque emplastris admiscetur. Alias et-
iam tanquam Escharoticum, crustas inducendo, sanguinem
siftit. Preterea ingreditur Theriacam Andromachi, cui qui-
dem recentiores vitriolum martis substituunt, uti ex Dispen-
satorio Brandenburgico patet. Colcothar hoc urina sani ho-
minis solutum iterumque exsiccatum, quod si post tertiam
vel quartam reiterationem ex retorta destillatur, suppeditat
phlegma acre, medicamentum externum ad dolores quos-
dam mitigandos.

§. XVII.

Colcothar edulcoratum sive Terra Vitrioli dulcis obtinetur,
si Colcothar jam recentissimum pulversatur, aqua calens affun-
ditur, bacillo agitatur, talis affusio aquæ calentis, agitatio at-
que decantatio, toties reiteratur, quoties sapor adhuc sali-
nus percipitur, quo plenarie ademto exsiccatur. Epuloti-
cum hoc medicamentum insigni exsicandi, absorben-
di & adstringendi virtute pollet, ulceræ manantia sa-
nat inspersum, nova epidermide partem ulcerosam investit,
salsedinem & acrimoniam humorum in ulceribus serpentibus
domat, synoviam reprimit & hæmorrhagias siftit.

B 3

§. XVIII.

§. XVIII.
Sal Vitrioli obtinetur, quando Aqua, quæ in iam dicta edulcoratione salino sapore imprægnata deprehenditur, inspissatur, dein iterum cum aqua pluviali dissolvitur, per chartam bibulam filtratur, & ad curiculam evaporatum crystallisatur. Vermes in ventriculo & intestinis habitantes cum hoc sale ejici quidem possunt, prostant vero tuctiora remedia. Interim usus externus in Carcinomatibus repurgandis, ulceribus malignis putridis atque fistulosis mundis, candis atque consolidandis egregius est.

§. XIX.

Sal Vitrioli vomitivum s. Gilla Theophrasti, aut ex capite mortuo obtinetur, aut Vitriolum Hungaricum calcinatur, ut in pulvrem atrorubentem abeat, huic calci in olla terrea aqua casida affunditur, spatula agitatur, per 20. horas ad solutionem reponitur, supra carbones ebulliens filtratur, ad cuticulam exhalatur & crystallisatur. Hic labor tertia vice solvendo & crystallando reiteretur. Crystalli leni calore exsiccati redigantur in pulvrem album, cuius dosis suadente HOFFMANNO in Actis Laboratorii Chemici, à gr. vij. ad drachmam semis. PENICHERI vero jussu ad drachmam unam extendi potest. Epilepsiam aliasque morbos a ventriculo per consensum oriundos absque incommodo tollit.

§. XX.
Sulphur Vitrioli vario modo a diversis Autoribus præparatur, illud tamen arridet, quod ex Vitriolo purificato & in aqua pluviali dissoluto, affuso oleo tartari paratur, quod le FEBVRE p. m. 815. describit, & in affectibus pectoris admodum laudat, à gr. ij. ad scrupulum semis in Syrupo, conserva aut alio approbiato vehiculo. Vitriolum peculiare, a vulgari longe diversum, ad hoc sulphur desideratum laudat atque facere docet POLEMANNVS in tractatu germanico, qui inscribitur Novum Lumen Chymicum, ZWELFFERVS in Mantis. Spagir. p. 241. propterea solertissimum Chymicum & profundum Philosophum vocitat; BARNERVS vero in Chymia philosophica Tractat. III. Cap. VII. ostendit, nihil distincti hoc neque continere, neque præstare.

§. XXI.

S. (15) 50

§. XXI.

Sulphur Vitrioli purgans conficitur ex Vitrioli purificati partibus v. cum limatura maris una parte mixtis, affuso phlegmate vitrioli, per quatuor dies in B. M. digestis ac quotidie quinques vel sexies agitatis; liquore filtrato, ad dimidium abstracto & cum oleo tartari p. d. præcipitato post decantationem illud, quod in fundo manet, edulcoratur & exsiccatur. Suave præbet purgans, tam in affectibus pectoris, quam in febribus diuturnis, a granis ij. ad vij. in Conserua Henenii aliaque.

§. XXII.

Sulphur volatile atque fixum Vitrioli, describuntur ab aliquoties laudato le FEBVRE l.c.p. 316. & in asthmate illud, hoc vero ad sanitatem conservandam, multis commendatur elogiis. Ex utroque parari quoque potest Tinctura, cuius compoſitio apud dictum Autorem proſtat, quaerque proficiua eſt, in affectibus uteri, obſtructis vasis ſpermaticis, hydrope, liene indurato aliisque pluribus morbis.

§. XXIII.

Oleum Vitrioli paratus, vitriolum ad rubedinem calcinatum ex retorta terrea, successive applicatis ignis gradibus destillet. Primo phlegma obtinetur, quod in lagenam effunditur. Vase recipiente iterum adaptato, commissuris accurate clausis, transcendunt nubeculae, & tunc destillatio continuatur, donec recipiens refrigerat, quo facto effundatur Spiritus qui eſt sulphureus. Novum recipiens vas dein appone, igneque aucto spiritum acidum vitrioli transcendere procurabis. Illud, quod in cucurbita remanet, eſt magis acida vitrioli pars, quæ (impropriæ) Oleum dicitur; de quo nobis jam sermo eſt. Qualibus medicis uſibus, in specie chirurgicis, hoc oleum inſerviat ad polypum & verrucas abſumendas, aliaque corroendo deſtruere, nunc non meum eſt recensere, quia maxima cautione & ſollicita applicatione opus eſt; multo minus de uſu in arte tinctoria, ad colorum durabilitatem conciliandam quicquam monere placet; metallorum trans-

mu-



mutationem quoque non attingo, dum in chymia medica tot usibus gaudeat Vitriolum, ut ad chymiam altiorem accedere nullum fere tempus superfit, PARACELSVS vocat illud partem pharmacopœiæ quartam, eximiumque ejus in non paucis morbis usum CROLLVS in Basilica Chymica p. m. 301. seqq. depraedat. Dicendum igitur, qualia egregia alia medicamenta ex hoc oleo parentur.

§. XXIV.

Palmam autem omnibus reliquis præripit. *Liquor anodynus mineralis*, qui ita paratur: Recipe Olei Vitrioli & Spiritus vini ana, misce successiue, immittre in retortam, destilla mixturam in vas recipiens capax, commissuris, cum vesica madente clausis, destillatum sic in tria colore diversa principia abibit, siquidem quod supernat est oleum Naphthæ, in medio spiritus vini & in fundo oleum vitrioli adparet. Spiritus in medio contentus separatur & aliquoties super sal tartari cohobatur. Est medicamentum egregium dolores sistens, tutius assumitur quam Tinctura opia, cum qua tamen virtute anodyna convenit. Pro lubitu & diversa intentione talis liquor anodynus quoque parari potest ex spiritu nitri & Oleo vitrioli cum Spiritu vini. Ex spiritu salis & oleo vitrioli, ejusdem indolis consurgit medicamentum. Sic quoque Spiritus urinæ cum oleo vitrioli destillatus suppeditat simile medicamentum. Conferatur HENSINGII Diss. de Virriolo. De remedio illo summe decantato, *Essentia Moguntina* dicto diffusum processum hic inserere, frequens haec tenus a multis reiteratus labor pro superfluo declarat, & angustia dissertationculæ prohibet. Sufficiet dixisse quod Oleum vitrioli rectificatum album, & Spiritus vini summe rectificatus successiue misceantur, digerantur atque destillentur, ergo productum est liquor anodynus mineralis.

§. XXV.

Spiritus Vitrioli compactus, s. Aquæ aperientis Penuti ita paratur: Recipe Vitrioli Ungarici ad rubedinem calcinati libr. iiiij. Silicum fluviat. calc. lib. V. Tart. ad alb. calein. lb. j. pulvisentur & destillentur. vid. SENNERTVS Inst. libr. 5. part. 3. sect. 3.

scđ. 3. cap. 5. Medicamentum hoc jncidit, attenuat, aperit,
in affectibus hypochondriorum, mesenterii, pancreatis in-
farctibus, hydrope & ictero proficuum.

§. XXVI.

Spiritus Vitrioli compofitus i. bontripticus exfurgit, quando
Ovum struthiocameli Spiritu Vitrioli philosophico affuso sol-
vit, & imprægnatione facta filtratur. Calculum renum
minuit, teste ROLFINCIO l. c. p. 171.

§. XXVII.

Pulvis sympatheticus cum sanguine vulneris habet com-
merciū, & quidem cum linteo, magnitudini vulneris cor-
respondente excepto. Duplex autem est: unus simplex,
quando Vitriolum viride solis radiis expositum ad albedinem
calcinatur; alter componitur ex Vitriolo ad albedinem ita
calcinato & Gummi tragacanthæ æquali proportione, cuius
mentionem facit LYDOVICVS de NASSAV, autore Job. BEVE-
ROVICIO in epistolis quest. medic.

§. XXVIII.

Liquor stypticus Weberi describitur à Job. CORN. WEBERO
in peculiari tractatu, qui idem in fronte fert nomen: Recipe
vitrioli Ungarici, Alumin. ana lb. Semis phlegmatis Vitrioli
lb. iiiij. coque tamdiu, donec omnia fuerint dissoluta. Li-
quorem frigefactum filtra & à crystallis subinde natis sepa-
ra, adde cuilibet libræ liquoris olei Vitrioli unciam 1. Lintea-
mina complicata, hoc styptico humectata vulneri, orificio ar-
teriæ, vel trunco extirpati membra alligata, sanguinem in
momento coagulando fiant.

§. XXIX.

Aquam Stypticam communicat LEMERY l. c. p. 441. Reci-
pe Colcothar vitrioli rubri, Aluminis usq; & Sacchari candi
cujusque grana 30. urinæ impubis personæ & aquæ Rosar. ana
unciam dimidiā, aquæ Plantaginis uncias 2. Diu omnia hæc
in mortario agitato, hinc mixturam in phialam effunde, ef-
fundendus autem per inclinationem erit liquor cum eo uti
cupies. Non solum extus, sed etiam interne adhiberi potest,
in hæmoptysi, dysenteria ac hæmorrhoidum nimio fluxu.

C

§. XXX.

§. XXX.

Sal volatile vitrioli anodynum, narcoticum & sedativum, in febribus, spasmis, doloribus ejusque commatis pluribus affectionibus debitibus laudibus prosequitur TRICHEMAYERVS & in Institutionibus Chemia p. 219. ita procedere jubet: Recipe capit. mortui vitrioli, lb. iij. affusis aquæ servidae lb. vi. cum ligno agitando fac lixivium, quod post filtrationem miscetur cum lixivio ex borracis veneta uncis 2. cum aquæ calidae lb. semis facto, filtra & a terra separatum ad cuticulam evapora, distilla per alembicum, sic prodit phlegma insipidum, quod removendum est, liquor autem acidulus subsequens conservetur. Materia per distillationem in cucurbita exsiccata & sublimata dat sal volatile. Si liquor acidulus residuo affunditur & dicto modo tractatur, impetratur iterum sal volatile, sive hic labor aliquoties reitari potest.

§. XXXI.

Tartarus vitriolatus Tachenii est Medicamentum frequenter usus, ex solutione vitrioli pulcherrimi cum s. q. aquæ, & olei tartari per deliquium, usque ad saturationis punctum, adfusione coniurgens, quod vero multis ambagijs describere, supervacaneum existimo, cum ejus processus in omnibus fere Dispensatoriis proset, omnesque Practici eo nunc utantur.

§. XXXII.

*Vitriolum Martis ita obtinetur: Recipe Limaturæ mattis libram semis, cui in vitro capaci successively affunde Spiritus vitrioli non rectificati libram unam, ita ut affusis aliquot drachmis spiritus, semper portionem aquæ fontanæ affandas, ne spiritus cum marte indurescat. Solutione peracta, in leni calore positum in liquorem abit, qui filtratus in frigido loco in Vitriolum concrecit. Ad obstructiones referandas, vermes necandos eximii usus est remedium. Si de reliquo intentio esset, Omnia apud Autores occurrentia medicamenta, quæ *Vitriolo* natales atque virtutem debent, sistere, non specimen paucarum phylarum, sed amplissimus inde concreceret liber. Sufficiat itaque nobis ostendisse, *Vitriolum* ingentis esse utilitatis medica, & quod ejusdem inquisitionis adhuc nullus detur sufficiens*

F I N I S.

Nr. 19 als Titel nicht zu
identifizieren!

01 A 6537

f


TA→OL


nur Stck. 12 bis her verknüpft



3

100%





29

DISSERTATIO IN AVGVRALIS MEDICO-
CHYMICA,

VITRIOLO
ET
QVIBVS DAM MEDICAMENTIS
EXINDE PARANDIS,

**QVAM
CONSENSV
GRATIOSI MEDICORVM ORDINIS
IN ALMA ET PERANTI QVA HIERANA,
S V B P R E S I D I O**
**DN. D. IVONIS JOANNIS
STAHLII,**
EMINENTISS. ELECT. MOGUNT. CONSIL. ET ARCHIAT. ANATOM. CHIRURG.
ET BOTAN. PROFESS. PUBL. FAC. MED. ASSESS. ORDIN. CIVIT. ERFORD.
CONSULIS ET PHTSICI,
PATRONI AC PROMOTORIS SVI COLENDISSIMI,
PRO LICENTIA
SVMMISQVE IN ARTE SALVTARI PRIVILEGIIS
ATQVE IMMVNITATIBVS
RITE ET SOLEMNITER ADIPISCENDIS,
PVBLICO ERUDITORVM EXAMINI SVBMITTIT
AVCTOR ET RESPONDENS
JOHANNES HENRICVS GRÆFFE,
Sondersbusano-Schwarzburgicus.

IN AUDITORIO MAJORI COLLEGII MAJORIS, HORIS CONVENTIS,
DIE XXIII. OCTOBRS, M DCC XLII,

ERFORDIAE, Typis HERINGII, Acad. Typogr.